

17

D. D.  
DISSERTATIO GRADUALIS  
DE  
**PRUDENTIA,**

QUAM

*Venia Ampliss. Facult. Philosoph. in Reg.  
Acad. Aboënsi,*

MODERANTE

*VIRO MAXIME REVERENDO atque CELEBERRIMO,*

**D<sub>N.</sub> DOCT. CAROLO  
MESTERTON,**

*Log. & Metaphys. PROFESS. Reg. & Ord.*

*Publicæ bonorum censuræ submittit*

**MATTHIAS AD. SÆ,**  
ROSLAGUS,

IN AUDITORIO MAJORI  
DIE XI. JUNII ANNI MDCCLXIII.

H. A. M. S.

---

A B O Æ,

Impressit JOHAN CHRISTOPHER FRENCKELL.

Admodum Reverendo Praeclarissimoque  
**D<sup>N</sup>. ADAMO SÄF,**  
PASTORI & PRÆPOSITO in Söderby & Carlskyrka.

PARENTI omni filiali Pietate æternum colendo.

**Q**uae mihi, Parens Optime, a primis incunabulis in hunc usque diem præstiteris beneficia, plura immo majora esse fateor, quam ut tanta brevitate a me recenseri, ne dicam laudari digna queant. Consultius itaque duco, eadem, tacita admiratione venerari, quam conari enarando velle illa assequi, quo modo vereor, ne magis obscurentur, quam illustrentur. Perquam submisso igitur rogo atque obtestor Parens Optime, ut leve hocce opusculum sereno vultu, non ut remunerationem eximice & Paternæ Tuæ bonitatis; sed ut indicium meæ in Te veræ Pietatis respicias. Quod reliquum est, DEum, Ter Optimum Maximum indefessis suspiriis venerari, nunquam desistam, dignetur Te Parens Optime omnigena prosperitate cumulare in Ecclesice Sucè emolumentum, Nostrorumque gaudium commodumque diuturnum & exoptatissimum, ita ex intimo corde optat & vovet.

OPTIMI PARENTIS

obedientissimus filius  
**MATTHIAS SÄF.**



§. I.

**P**rudentia est habitus mentis, secundum veram rationem consultandi & agendi ea, quæ homini in universa vita sunt bona vel mala.

§. II.

Prudentia circa omnia ea versatur, quæ homini ad bene vivendum & agendum sunt necessaria.

§. III.

Prudens is est, qui potest bene consultare de iis, quæ ipsi vel aliis sunt bona vel mala.

§. IV.

Quia homo non est omniscius neque omnipotens, impedimenta, etiam varia, neque perspicere, neque removere semper potest.

## §. V.

Prudentia hominum felicitas promovet, Ergo ad prudentiam obligati sumus,

## §. VI.

Quia fortuita non sunt in nostra potestate semper, sed actionibus ipsis nobis objiciuntur. Ergo ut ea cognoscamus experientia opus est. Ex quo elucet, quare *Juvenibus & inexpertis* non facile attribuatur prudentia; sed *senibus & expertis*.

## §. VII.

Prudentia non tamen Doctos, quam bonos efficit: nec contemplationis organon, sed vitæ Lex est. Non est prudens, qui scit præcepta, sed qui illa facit: oportet enim prudentem non solum esse, contemplativum entium, sed & practicum eorum, quæ convenient.

## §. VIII.

Sapientia mediorum est scientia ad felicitatem facientium. Frustra ergo *sapiens* nihil facere potest.

## §. IX.

Non omnis *sapiens* quoque est prudens. Si sapientia, eadem esset cum *prudentia*, tum sequeretur tot esse sapientiæ, quot sunt prudentiæ species. At unica tantum est sapientiæ vis atque natura, quæ omnium rerum perfectam cognitionem

nem complectitur: plures autem sunt Prudentiæ species pro varietate actionum & negotiorum, circa quæ versatur.

### §. X.

Ex sapientiæ & prudentiæ objectis, satis eorum discriminem cuique constare potest. Sapientia versatur circa contemplationem & cognitionem rerum Divinarum cœlestium necessariarum, quæ nullam admittunt mutationem. Prudentia vero versatur circa deliberationem de actionibus rerum humanarum, civilium singularum & contingentium, quæ mutationi sunt obnoxiae.

### §. XI.

Scientia versatur circa universalia, quorum cognitio experientia per inductionum comparatur. Scientiam itaque Prudentia differre nemo non vidit.

### §. XII.

Experientiam prudentiæ, matrem esse autem amus, Experientia nobis præbet varia observata & experimenta primorum temporum, ex quibus conjectari licet, quid succedere probabile est. Cognitio enim priorum eventuum cum eorum caussis, multum adjuvat ad penetrandos eventus futuros, experiendo quid præteritum est, conjiciamus quid futurum est, simili rerum ac caussarum concursu. Experientia reddit homines cautos &

circumspetos, ratione tum officii præstandi, tum mali evitandi. Periculorum experientia homines reddit fortis & audaces. Experientia prudentiam reddit auctiorem ratione quantitatis, appetitum enim plura cognoscendi multum proritat, & deinde plurimis experimentis undique conquisisit multum prudentiae ratione qualitatis addit. Cognitio enim experimentalis maxime familiaris & naturalis est. Experientia generalia præcepta deducit ad usus particulares & singularia, quæ sunt penè infinita ad classes & ordinem finitum, reducit. Experientia homines reddit optimos Christianos, ideoque maxime prudentes. Hinc Stoici dixerunt virtuosos peritos esse. Res Divinæ sive spirituali & experimentali sensatione magis percipiuntur, quam verbali descriptione aut mera speculazione. Experientia Christianorum reddit optimum Theologum. Nemo melius ac felicius alios instruit, quam qui sui ipsius animum maxime experitur, ejusque varios motus, vicissitudines & dispositiones sentit. Experientia denique homines facit optimos politicos. De variis enim hominum temperamentis, finibus, negotiis, moribus, & conversationibus nos instruit.

### §. XIII.

Temperantiam etiam non parum conducere ad prudentiam ex eo liquet, quia temperans omnia prosequitur decenter, & servato ordine finis. Prudens vir

vir nemo, cum intemperantia commercium habet. Neque voluptatis vitæ inest prudentia neque prudentiæ vitæ inest voluptas inordinata, qua nihil in ordinatus. Intemperantia omnem imprudentiam & intendit & detegit. Antiqui voluerunt, tempestantiam hominum & moderationem affectuum & appetitus sensitivi esse, quam maxime gaudet prudentia, quæ mentem requirit serenam, cupiditatem inordinatarum, aut aliarum perturbationum tempestatibus minime obnoxiam.

#### §. XIV.

Prudentiæ extrema sunt versutia & imprudentia. Prudentia in intellectu pratico sedem suam habet vera virtute imbuto; versutia autem in intellectu simulata virtute tantum vestito, quare vere prudens mavult esse bonus, quam talis videri. Prudentia plus officium quam, beneficium respicit, sed versutia plus beneficium, quam officium. Prudentia est recta & naturalis. Versutia est tortuosa, obliqua & in omnibus artificiosa, unde in proverbio, est versutia *serpentina & vulpina*.

#### §. XV.

Alterum prudentiæ extremum est imprudentia, æqualem latitudinem habet cum prudentia, nam veluti prudentia respicit *præterita, praesentia & futura*, sic & imprudentia. Circa *præterita* versatur, quando ea memoria non tenet, vel cum *præsentibus ac futuris* non confert. *Praesentia* respicit, quum

quum finem certum non præstruit, vel media pro-  
pria non eligit, vel circumstantias omnes non at-  
tendit. Circa futura se exerit imprudentia, vel  
bona non providendo, vel mala non cavendo,  
unde eventus dicitur Imprudentum Præceptor, quia  
non nisi post damnum acceptum, sapiunt.

## §. XVI.

Plura persequi non permittit temporis ratio.  
Cogor itaque, nunc filum, quod ajunt, abrumpe-  
re dissertationis; cogor. Campum relinquere eum,  
qui oculis meis fese offert, longe lateque paten-  
tem. Pauca vero hæc velini in Gloriam solius  
pertineant Gloriosi DEI, qui est sine

F I N E.

